COLAI

PERA.

MUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
2.b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV.4.
12. Tractatus de Pane, Editio secunda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pane.
(14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiae Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

T…

Met…
Theo…
gendis…
cem T…
Syll…

D. O. M. A.

DE

AHASVERO ESTHERÆ.

Qvisnam ille, quo tempore vixerit, imperârit, Estheram duxerit, *Judæos* ingente excidio liberaverit, & similibus,

EXERCITATIO PECULIARIS,

Chronologica, Historica, & Theologica.

Subjectis nonnullis ad calcem qvæstionibus qvædam Librum Estheræ concernentia expedientibus.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Theol. & Phil. Professore.

ELBINGÆ.

Literis CORELLIANIS.

Anno à partu Virginis Matris,

M. DC. LIII.

CHRISTIANO ET erudito LECTORI S. Et pacem Christi.

E Mathematicis, LECTOR ERUDITE, Volutationem Telluris *nuper pensandam suppeditavi. Nunc ex iisdem Chronologica delibo, & Chronologum ac Historicum agere incipio. Occasionem sacrum Volumen suggerit,* Ahasverum Regem *in Libro Estheræ enarrans.* Quis ille, *quo ævo egerit, Cui Monarchiæ addicendus, primænè, an secundæ, Veterum ac recentiorum Chronologorum industriam exercuit, disceptata commovit. Decennium est, ex quo argumentum in manus sumptum. Post diu inquisita nihil solidi suppetiit, & exitum nancisci non licuit. Quos fugerem, vidi: Quos sequerer, non habui. Eoq; sepositus labos, ut in quo frustrà desudes. Non tamen prorsùs rejectus, sed tandem resumptus. Vltrà eruere aggressus sum, si liquidius quid obveniat, ac iterata molitio accuratiorem veritatem eliciat. Nata inde opella hæc, quam vides,* LECTOR. *Lustrare & censere licet, an ad destinata satis processum, speiq; tuæ satisfactum. Profectò sæpè vix mihi ipsi, minùs aliis satisfacio. Tortuosum* Chronologias *studium non unum Herculem exposcat, qui hydras resecet. Nulli imputandum, si hæreat aut labet. Conamur, in quantum licet, non ut fieri debet, aut optamus. Satis nobis, spicilegium aliquod posuisse. Aliis ad integram sementem matura fruges relinquatur. Maximè ad Veritatem in tricoso argumento adhærere animus fuit. Pensatâ universâ historiæ facie, Medorum regimini antè Persarum Monarchiã gestum consignare visum Momenta rerum excutere suscipe,* LECTOR, *an veritati adulter sensus uspiam obstrepat. Circus liber est, in quo & mea, & tua decurrat sedulitas. Si meliora nostris suppetunt, nostra juva. Si hæc ad palatum, suscipe, & porrò apud* DEVM *precibus nos commenda. B. V. Elbingæ, Idibus Martiis, Anno* 1653.

IN

Varia

CLARISSIMI, EXCELLENTISSMI VIRI,

DNI:

HENRICI NICOLAI,

Philoſophi ac Theologi celeberrimi, Hiſtorico-Philoſophico-Theologica Scripta.

DOctûm Virorum Gloria,
Phœbi Voluptas unica;
Qvæ vera ſunt, hîc promimus,
Poëticè nil fingimus,
Sed cuncta candor dictitat.
Tibi ſat hunc probavimus:
Sine hoc homo, vix eſt homo.
Membris qvidem non maximus,
Mentis Gygas es dotibus:
Scribis, papyri ponderes
Si qvantitatem, parvula:
Rerum putes ſi nomina,
Næ ſcriptitas Tu grandia!
Qvod de Vrbe qvis Cartagine
Dixit, Tuis diſcurſibus
Id applicemus optimè:
Silere præſtat, dicere

Qvàm

Qvàm pauca de horum laudibus.
Pergas stylo nomen Tuum
Æternitati tradere.
Obtusior qveis mens data est,
Desperne porrò fortitèr.
Níl sus rosarum purpuram
Curat, luto fautor suo.
Nosti, allium fœdissimum
Rosis odorem ut augeat.
Mundi potens des Arbiter,
Ne lis ter execrabilis
Rumpat diutiùs probæ
Consensionis vincula.
Ecclesiæ tandem Tuæ
Vernent piâ concordiâ!
Non addo plura; finio.

Aliud ad Eundem.
In præsentem de Ahasvero Tractatum.

Rex quis Ahasverus fuerit, qvo vixerit ille
Tempore, dum curæ est disseruisse Tibi:
Ingenuè fateor, qvæ sunt verissima: Sic Tu
Te Regem ingenio, *judicioq; probas.*
Qvàm diu Ahasveri nomen Sacra Biblia servent;
Durârit nomen tam diu in orbe Tuum.

Faciebat Tuissimus
Rorgerus zum Bergen/
Regius Secretarius.

De
AHASVERO ESTHERÆ,
Quisnam sit, & quando vixerit,
EXCERCITATIO PECVLIARIS,
Chronologica & Theologica.
THESIS I.

TEmpus *Philosophis* caliginem quandam, h. e. rem intricatam & obscuram esse *Augustinus L. 11. Confession:* jam suo tempore cum plurib. Philosophis conquestus est: Et *Ægyptij* serpentem caudam sub guttur attractam occulentem mythicè adumbrârunt, *Ut Dec: 1. Mi. d.* 1 notavi. *Chronologis* idem pro labyrintho esse potest, in quo perpetuo labore ipsi decurrant. Lapsorum en. temporum recessus investigare laborant, indeq; sæpius easdem vias relegere coguntur, quas emensi sunt. Jn seipsum annus revoluitur, vt jure *vel annum ab annulo, vel* annulum ab anno dictum, Grammatici conijciant. Sed nexus sæpè ita impexus hic, vt vnde temporum ratio inchoet, quovè se condat, ad exitus vsq; desperationem Chronologorum fatiget industriam. Docente id tantâ dissonantium intér eos varietate, Ut si mundi incolas in vnum coire contingat, *Inter Theologos tamen, Chronologos, & Iuris Professos* æternis sententiarum diversitatibus pugnam supermansuram esse vulgò dicatur. Quod rixæ *de æra Mundi conditi,* 70. *hebdomadum Danielis, Nabonassari, Babyloniorum, Captivitatis Babylonicæ, Nativitatis Christi, aliaq;* in Chronologicis planum facient. In quibus supputationũ diversitas incredibilis, errores sine fine, & inexplicabilis quãdoq; labyrintus. Optimꝰ ille Chronologorũ, qui minimũ errat. qui penitꝰ erroris exors, nemo reperiatur. Soli Deo id reservãdũ, *quo*

nemo melior Chronologus, qui & temporum rationes enumeratas, & momenta ponderata habet. Hominibus caligo, tenebræ, & decurrendi ineluctabilis labor relictus est. Ac vt cœtera transeant, de ipso, quod trademus, *Achasvero Esthera*, magna intricatio, varietas, & dissensio Chronologica existit. *Quis* omninó Regum fuerit, *quando* vixerit, *quo tempore* historia eius contigerit, *an* durante captivitate, *an* solutâ, *an* Medorum rex, *an* Persarum fuerit, quæq; his annexa? Operosis de eo disputationibus perlectis quid est, quod dicat aliquis, ex iis maximè, quibus non est multum ad ista otii, nisi illud *Terentianum: Fecisti probè, Incertior sum multò, quàm dudum*, ait de hac ipsâ materiâ *Grotius not. ad C. 4. Esdræ, verß. 6.* De eâ BONO cum Deo commentari nonnulla placet, an certi quid sive ex historiâ, sive Chronologicâ temporum supputatione, sive aliundè subduci queat, periclitaturi.

2. *Præcipua quæstio hic est, Quisnam Achasveros ille Esthera fuerit*, Cujus imperium, Majestas, Coniugium, gesta, libro illo narrantur? Quem *librum* quidam *Esdræ* Sacerdoti, ut *Isidorus*, Alij Ioacimo Hebræorum Pontifici, ut *Philo*, *alij* Mardocheo vt scriptori probabilius tribuunt, ex *C. 9. v. 20. 32. vt Latini Patres.* Quidam ex Canone Hebræorum expungunt, Vt *Melito*, *Athanasius*, *Nazianzenus*: Contra veterem Hebræorum & priscorum Christianorum omnium consensum, qui in Canonicis eum numeraverunt. Illo a. liquidò constituto, *quis hic Assuer: fuerit*, de tempore ejus totiusq; historiæ facile consequenter liquere poterit.

3. Priusquam certi quid determinetur, *variantes Scriptorum sententias* ante percensere operæ pretium fuerit, quid authores hac de re sensisse deprehendantur. In universum hac de re *duodecim sententias* inuenio, quæ tribus ordinibus inferri possunt. *Quidam* ante solutam captivitatem Babyloni-

cam, durante adhuc eâ, hanc historiam contigisse putant: *Quidam* post captivitatem, & solutâ eâ: *Quidam* hæsitant, & ad non liquere decurrunt. Qui ante solutam captivitatem historiam locant, I. *Quidam* Astyagem Medorum regem hunc Assuerum faciunt, qui Pater Darij Medi fuit, & expressè Ahasverus vocatur *Dan. 9. v. 1. Ut Gerh: Mercator in Chronol. Sleidanus L. 1. d. 4. Imperi. p. 13. Canus L. 11. L. Com. C. 3. Wanckelius T. 2 scrip. Academ. Frankenbergerus in Orat. ap. Wanck. c. l. Perkinsus in digesto, p. 14. 75.* Qui & *Gualtherum ac Temporarium* in hoc allegat, *Philo & Egesippus etiam,* quos alij citãt, *Cedrenus,* quem ita sentire *Christ. Matthias in Astyage C. 2. n. 3.* tradit, alijq́; Hæc sententia maximè hic probabilis est, *& t. 26.* uberiús confirmabitur. II. *Alij Darium Medum* eum faciunt, *Vt Canus c. l.* non improbabile habet, & *Zonaras in Chron. alijq́;* Improbabiliter. 1. *Quia* expressè hic Darius semper Darius vocatur, nunquam Ahasverus, *Dan. 5. v. 1. C. 6. v. 1. 6. 9. 25. 28. C. 9. v. 1.* Sed filius Ahasveri dicitur, Vt Ahasverus pater ejus fuerit, & proprio nomine sic appellatus. Ita enim filius alicujus aliquis dici solet, non cum communi nomine appellatur, Vid. *t.* 10. Mirum a. sit, si Darius Medus ille Assuerus fuerit, *Librum Estera* ne semel quidem suo nomine appellauisse Darium, semper alieno, Assuerum. 2. *Quia gesta* sub Dario Medo aliquot in Daniele C. 6. 9. 10. recensentur. Ne minima a. mentio ibi tàm insignis historiæ reperitur, repudiatæ celeberrimæ Orbis reginæ, ductæ in matrimonium à potentissimo Orientis rege pauperculæ puellæ Judaicæ, tàm depressi, & mirabiliter liberati ac exaltati populi Judaici, Mardochai in tantum fastigium elati, vt secundus â Rege extiterit, quod quidem mirum sit, si sub eo rege historia contigerit, Cum tamen *synchronon* Mardocheo fuisse oportuerit *Danielem,* qui res populi Judaici maximoperè sibi commendatas habuit, ac pro eo ardentes ad DEUM

preces non semel fudit, *Dan. 9. v. 7. Quod hic urgeri solet*, argumentum ab authoritate negativâ & silentio Scriptorum non firmiter concludere, in totâ re aliquâ negandâ locum habet, *non a. aliquâ ejus Circumstantiâ*, Vt hic facimus, quód eo tempore sub Dario Medo non facta sit, non quód prorsus non facta. Sic bellum *Holofernis* & Judithæ historiam non Manassis tempore contigisse à silentio Libb. Regum & Chronicor. arguitur, quod illi nihil de eo, cum alias gesta sub Manasse satis persequantur. *V. Pareum d. 1. in Bell. d. V. Dei., ap. 12. Gerhardum Exeg. d. Script. t.* 192. aliosq;. *Sic* Judith historiam non verum gestum esse ex silentio publici istius festi in memoriam liberationis instituti, *Judit 16. v.* 31. apud authores deducitur, *V. Chamier. T. 1. l. 5. c. 7.* Bellum Cyri contr. Astyagem fabulam judicant, quód nemo præter Herodotum illud descripserit. *V. Xylandrum not. ad l.* 1. *Sleidani de 4. imp. Mon.* 2. Et frequens in Historicis ac Chronologicis arguendi modus est, Cum scriptores certi temporis nihil de memorabili re habere observantur, rem eorum tempore vix factam esse probabiliter inferre. *Sæpius* etiam probabiliter colligitur, ad rem negādā, cū authores rem perfectè tradidisse præsupponitur, Vt in Logicis docetur. *V. L. 2. Comp. Log. C. 6. Conf. t. 27.*

4. III. *Alij Patrem Astyagis* & avum Cyri, Cyaxarem J. (nam Darius Medus Cyaxares II. Scriptoribus dicitur, hunc Assuerum faciunt, de quo *Herodotus L. 1. Huc Canus c. l.* inclinat. Vix probabiliter. 1. *Quia Herodotus* vitam & gesta ejus describens nihil de repudiatâ conjuge & summo Satrapâ in crucem acto aut insidiis eius genti cuidam structis, reb. tàm memorabilibus, habet. Quales non solent prudentes Scriptores totaliter omittere. Indiciū saltē ponere solent, si non totū memorare. 2. *Quia* Cyaxaris nulla prorsꝰ mētio in sacris est, nec Propheticis nec historicis libris, quod ego sciā. Vix a. probabile, Ahasve-

hasverum hunc talem regem esse, Cujus nulla prorsùs aliàs mentio in sacris occurrat. De talibus enim regibus, sub quibus memorabile quid Politiam & populum Judaicum concernens, quod seculis aliquot vix contingat, evenit, aliquoties Scriptura memorare solet, Ut de Cyro, Nebucadnezare, aliisq; constat. De Cyaxare a. altum est silentium. 3. *Quia* probabilius est, eum esse Assuerum hunc, quem expressé tali nomine Scriptura appellat, quám alium, Cujus nec nomen nec rem vnquam commemorat. At Patrem Dari Medi Scriptura ita appellat. *Dan.* 9. Qui non Cyaxares, sed Astyages fuit, t. 26. Nam alterum Ahasveros Persam, *Esdr.* 4. *v.* 6. non nostrum Assverum esse, *t.* 5. & 25. patebit, cum hanc historiam non sub Monarchiâ Persarum, sed Chaldæorum, contigisse ostendetur.

5. *Qui* post captivitatem Babylon: solutam historiam collocant, *V. Quidam* Cambysem hunc Assverum dicunt, Ut *Hebræi in Seder Olam, c.* 29. *Vatablus in annot. Genebrardus in Chronol. aliiq;* Et Judæi tres tantúm reges Persarum numerant, Cyrum, Cambysem s. Assverum, & Darium Codomannum, quem Alexander M. regno evertit. Falsò & hoc. 1. *Quia* Assverus supra 12. annos regnavit, *Esth.* 3. *v.* 7. Sed Cambyses tantum annos 7. & menses 5. regnavit, Ut *Herodotus l.* 3. narrat, vel annos tantum 6. Ut *Iosephus l.* 11. *antiq. c.* 2. dicit, Quibus pleriq; Scriptores alij assentiuntur. *Dices: Cùm Cyro* aliquot annis regnavit, qui Historicis non connumerantur, sed 7. solus tantùm regnavit. R. *Etiamsi* cum Cyro Monarchâ Persarum regnârit, nondum tamen 12. annos habebis, quia Judæi Cyro tantùm 3. annos tribuunt, sic vix ad an. 10. devenies, At Assvero 12. tribuuntur. 2. *Assverus* agnovit vim DEI Israelis, qui sibi & Patribus suis regnum tradiderit & conservârit,

Iudæosq; filios DEI viventis dicit, additiō. *Esth. c. 16. v. 16.* At Cambyses profanus & impius fuit, vt Historici tradunt, qui nihil Deum Iudæorum & fidem ac religionem eorum curavit, & Iudæos persecutus est ac odio habuit. 3. *Quia* Cambyses toto Imperij sui tempore odio prosecutus est Judæos, nec vnquam templum Hierosolymitanum ædificari permisit, sed impedivit, *Esdr. 4. v. 6. V. t. 7.* At Assverus post mortem Hamanis propensissimus & liberalissimus in Judæos extitit, *Esth. 8. 9. 10.* Quare Cambyses esse non potest.

6. *Dices* 1: *Tres reges* in Persiâ stabunt post Darium Medum, *Dan. 11, v. 2. Et v. 3.* Statim vaticinium de Alexandro M. subiungitur. E. Persica Monarchia paucis regib. absolvitur, Cyro, Cambyse, & Dario Codomanno. Non autem Cyro & Dario Assverus tribui potest. E. rectius Cambysi. *R. 1. Statim additur in Daniele, Quartus* autē Regū Persicorum potentior erit omnibus, quo Xerxes notatur, vt circumstantiæ evincunt. Plures a. reges tribus apud Persas fuisse, ut Darium Histaspis, Xerxem, Notum, Longimanum, Mnemonem, aliosq;, omnes Historici Græci & Latini, & inter Hebræos *Iosephus ipse L. 11. antiq. c. 45. seq.* testantur. In Daniele a. non omnes, sed nobiliores perstringuntur, & ad Alexandr. M. transitur, quia sub eo notabilis mutatio regni Persici contingere debuit. Non n. historiam regum texere proposuit Daniel, sed regnorum mutationes prædicere. 2. *Historia* hæc non contigit sub Persis, sed ante illos, *t. 25.* E. non opus, solicitum esse, cui Persarum regi attribuenda, cum nulli eorū conveniat. Sivè alias multi, sive pauci Reges Persarum extiterint. 11. *Nehemiæ* 12. *v.* 10. Pontifices recensentur, Iosva, Ioacim, Eliasib, Ioiada, Ionathan, & Jaddua. Iosva a. sub Cyro, Jaddua sub Alexandro M. vixit, cui obviam factus, vt Iosephus & alij tra-

tradunt. E. Nehemiam non longè ante Alexandrum M. vix-
isse oportuit, & consequenter non tám multos reges Persicos
fuisse oportet. Dario a. vltimo & Cyro, primo Regi Persi:
non commodè hæc historia tribuitur. Rectiús ergò Cambysi.
R. *Successio illorum 6. Pontificum* ad 200. annos se extendere potuit,
si cuivis 30. aut circiter anni Pontificatus tribuantur, quæ du-
ratio non infrequens, & tot annis Monarchia Persarum aut
paulò plus stetit, *V. Curtium L. 4. c. 14. Et d. 13. Curs. Phil. t. 5.* Vt
non opus tribus regibus eam absolvere, cum longè plures fu-
erint. Et *Nehemiæ ætas* istos Pontifices, ac inter cœteros Iaddu-
am recensentis, ostendit, eum valdè grandævum fuisse opor-
tuisse, Vt ad 200. & vltra annos pervenerit, Nam sub Cyro é
captivitate exivit, *Esdr. 2. v. 2. Nehem. 7. v. 7.* Et Iadduam Alex-
andri M. temporibus viventem recenset. Ita ad Alexandri M.
tempora eum pertingere necessum fuit, vt & ad multos reges
Persicos se ætas eius extendere potuerit. *Deindè* nullus Persi-
corum Regum hic Assverus fuit, sed Medorum, t. 25. 26.
Non ergò opus, solicitum de paucitate aut copiâ Persicorum
Regum esse, cum ante illos omnes hæc Historia contigerit,
t. 25. Quód Jadduam a. recenset, longævitati eius adscriben-
dum, quæ & posterioribus temporibus quibusdam obtigit,
Vt dec. 2. Misc. d. 9. recensui, & à *Iosepho l. 11. antiq. c. 5.* insinuatur,
cum eis geras aphecomeno, insenium provectũ eũ exspirasse
tradit. *III. Si sub posterioribus Persis hæc* historia gesta, Mardocheum
valdè longævum ad 300. annos esse oportuit, Nam sub Iecho-
niâ jam in captivitatem ductus est, *Ester 2. v. 6.* Et sub medio
Persicorum Regum vixit. Quod incredibile. *R. Non est sub*
Persis hæc historia gesta, sed sub Medis, eoq; tanta longævitas
Mardochei non pertimescenda, *t.* 15. *seq.* Et si esset, æqué non
longævitas eius absurda esset, ac Nehemiæ, si indicium eius
extaret

extaret, Vt de Nehemiâ, quod tamen non est, *t.* 17. *IV. Expressè Cambyses* Assverus dicitur, *Esdr.* 4. *v.* 6. *E.* commodé hic esse potest. R. Coetera requisita huius Assveri, Vt 12. annos regnare, & similia, in eum non quadrant, *t.* 5. Nomen illud multis Persis commune est, *t.* 8.

7. *VI. Alij Darium Histaspis* Assverum faciunt, Vt *Ioh. Benedictus in annot. Fevardentius in Comment. h. l. C. à. Lapide proleg. in Esthr. Et in C. 2. Esth. v. 6. Nieremberg. Stromat: 14. L. 1. d. Assver. c. 1. Et L. 2. c. 34. Samerius, Carion, Funccius in Chron. Brugtonus in Concent. p. 134. Balduinus in c. 1. Hagg. v. 1. Et c. 7. Zach. v. 1. Obs. 1. Himmelius mem. Bibl. in L. Esth. p. 75. Scharpius Symphon. p. 266, Lutherus in supp. ann. Mundi. lit. p. 1. Lyranus, R. Salomon, Abenesra, Annianus, Megasthenes ap. Co. à Lap. c. l. Et in c. 1. Esth. v. 1. Et c. 11. v. 2. Merlinus hom. 1. in L. Esth. Piscator par. 2. Ind. Bibl. p. 33. aliiq;* Inaccuraté & hoc. 1. *Quia* Histaspis propensus in Judæos fuit, & templum ac vrbem ædificari permisit, *Esdr. 6. v. 1. seq.* Quî credibile, ausum aliquem esse internecionem toti Iudæorum genti moliri, Ut hic Haman fecit, & consensum Regis facile impetravit, *Esth. 3. v. 10?* Et quomodo credibile, Mardocheum & Estheram structuram templi impedire passos, quod sub hoc rege etiam contigisse putatur, *Esd. 4. v. 7. 21. 14. V. Iunium in h. l. Et Chri. Matthiæ in Dary histor. t.* 27. Cum apud Assuerum insigni gratiâ valuerint? Si ex famâ præsumptæ rebellionis in Nehemiâ id ausos cum *Saliano & H. Philippi* regeratur, *Nehem. 6. v. 6.* Quæri possit, cur incertæ ac mendaci famæ, *v.* 8. tantum credere ausi sint, vt ab executione impediendi ac oppugnandi laborem Iudæorum, *c. 4. v. 8.* inchoare sustinuerint, nec insignem gratiam regis & reginæ, in quâ Esdras, Nehemias, Mardocheus, fuerunt, vereri animo cogitaverint, si Histaspis ille Esth. máritus fuerit? 2. *Quia* nullus Persicorum regum hic fuit, *t.* 25. *E.* nec Histaspis. 3. *Quia* in

His-

Histaspi lenitas, prudentia, & gravitas cum quadam pietate coniuncta fuit, Vt ex *Iosepho*, *Herodoto, alijs* patet. At in Assvero rigiditas, levitas, libido, iracundia, elatio, perspicitur. Sic cum Vasthi conjugis formam satrapis in publico convivio temulentus & incautus ostentare proponit, facilé ac præcipitanter in repudium eius consentit, cum honesté ac pudicé mariti temulenti impudicam coram principibus ostentationem detrectare potuerit, totale innocentum Judæorum excidium publico decreto sancit, convivia & apparatus luxuriosissimos exhibet, & similia agitat? 4. *Quia* Funccius hunc Assv. eundem cum illo facit, qui *Esdr.* 4. *v.* 6. ita vocatur. At is Cambyses est, non Darius Hist. *t.* 5. Vt et totâ textus serie patet, & plerią; Interpretes consentiunt, multi graves Viri putant, Vt *Pererius L.* 10. *in Dan. q.* 1. loquitur. Quanquam *Perkinsus* aliené Darium Medum intelligat, *p.* 14. *Digest. Et Cluverus Comp. Chronologi.* fratrem Cambysis Tanyoxarsem, *lit. d.* 3. Non n. hic in Catalago Persicorum regum ponitur, sed Cambyses post Cyrum tantúm successor nominatur *Iosepho L.* 11. *c.* 2. 3. Nam ante Darium, qui structuram Templi permisit, ille fuit, *v.* 5. 24. At Cambyses ante illum fuit, qui & omnibus Darijs Persis prior fuit, omnesq; Darij Persæ post eum sunt, Cum immediaté Cyro successerit. Et sic etiam Darius Hista. illo posterior. Non ergò per illum Assverum Histaspis intelligi potest.

8. *Dices I. Histasp.* valdè propensus in Judæos fuit, quod & de Ahasvero in *lib. Esther c.* 8. 9. traditur. E. probabile, eum esse. *R. Etiam* Artaxerx. Longimanus, Nothus, Mnemon, propensi in eos. E. & eorum aliquis esse potuit, quod tamen dissentientes nolunt. Hoc illi cum alijs commune fuit, vnde non determinatè pro hoc aut illo rege firmiter concludi potest. Jmò vivo Hamane postductam jam Estherá non propensus in Judæos noster Assuer.

B fuit,

fuit, sed exscindere eos decrevit, & Hamanis postulatis cōsensit, t.7. Postea exciso Hamane & consilijs eius propalatis demū Judæis favere cepit, t. 5. 2. *Etiam* expressè Assuerus vocatur *Esdr.* 4. *v.*6. Ne de nominis etiam appellatione dubium sit. R. Per illum Cambyses, non Histas. intelligitur, *t.* 5.7. Ac nomen Assveri multis Regibus Persarum commune fuit, principem & dominum notat, non unius est proprium, ut Ahasveri Medi, *Dan.*9. *v.* 1. *V. t.* 26. 3. *Vxor* Histaspis vocatur Atossa, Hadassa, Atassa, *Herodoto L.* 3. *p.* 244. Quomodo & expresse Esthera vocatur *Esth.* 2. *v.* 7. E. maximè hic Assu. est. R. 1. *Nominum* hæc est communio, quæ rerum identitatem non statim infert, cum multi idem nomen habere possint. Sic Astyages Assuerus dicitur, *Dan.*9. *V.t.*26. Et tamen nostrum Assuerum esse hi authores non concedunt, etsi nomen illis idem. Cambyses similiter ita vocatur, t. 6. Quem etiam non nostrum Assv. faciunt. 2. *Inter* Atossam Herodoti & nostram Estheram ingens discrimen deprehenditur. *Herodoti* Atossa Cyri Filia fuit, nostra autem filia Abihail, patrui *Mardochei*, Viri Judæi, *Esth.* 2. *v.* 15. Non valet cum *Funccio* dicere, Conjecturâ quadam, aut cum C. *à. Lapide*, errore aliquo id *Herodotum* scribere. Quid si enim illorum hæc responsio conjectura & error sit, quæ tam infringi, quàm asseri queat? Et sequentia magis negandum, quàm asserendum docebunt. *Atossa Herodoti* Darium ad bellum Græcis inferendum instigat, eò quòd Lacenas, Atticas, Argivas, Corinthias, fando sibi cognitas, ancillas sibi fieri cupiat. Qui hæc audacia ac insana dominandi libido in Estheram quadret, piam, humilem, dejectam & abjectam? Et statu regio elatam fuisse unde verisimile fiet, cum ex totâ historiâ in cultu Dei Israelis veràque devotione cum Mardocheo patruo perstitisse arguatur? *Atossa Herodoti* in locum defunctæ uxoris ducta est. Nostra in locum repudiatæ, de quo nihil *Herodotus*. Qui 4. Vxores successivè Histaspi tribuit, Atossam, Artystonam Cyri filias, Parmim ejusdem ex filio Neptem, & Phœdinam Othanis unius è septem, qui Smerdim Regni invasorem è medio sustulerant, filiam. Quibus L. 7. quintam Histaspis conjugem adjicit, nomine Phratagunam, nec ullam repudiasse memorat, cui Esther succedere potuisset. *Carion*

Regi-

Reginam Vasthi Atossam dictam ait L. 2. Chron. p. 83. Ita nihil ad Estheram nostram id nomen. Etiam Mnemonis aliqua uxor Atossa, t. 19. Nec tamen eum ex Assvero hi authores ob id faciunt.

9. 4. *Assverus* continuè Susis habitavit, *Esth.* 1. *v.* 2 C. 2. *v.* 3. 5. At hæc urbs Regia Persarum post Darium Medum facta fuit, vel à Dario Histaspis, ut *Plinius L.* 6. *c.* 27. vel Cyro, ut *Strabo L.* 15. docent. Imò Hista: ædificasse eam *Plinio c. l. & Athenæo L.* 12. dicitur. Ergò maximè hic intelligendus. *R.* 1. *Non sequitur.* Susis habitasse commune nostro Assvero cum multis Persicis regibus esse potest, nec unum determinatum Regem in individuo arguere valet. Susa regia Persarum sub Persis,, sed Medorum sub Medis fuit ante Cyrum. *Et Strabo* Persarum regiam ibi fuisse nonnisi devictis Medis dicit. Florentibus ergò his etiam Medi stativa ibi habere potuerunt. Sub Persis stata regia Susa fuit: Sed sub Medis regno Persarum jam inclinante Medorum Rex aliquis ibi sedem habere potuit. 2. *Ex eo ipso*, quòd Assu: Estheræ continuò Susis habitavit, (quanquam apodicticè *ex Libro Esther* illud demonstrari nequit. Eo enim tempore, quo illa Historia gesta, Susis fuisse dicitur, ibiq; convivium instruxisse, Vasthi abdicasse, Estheram uxorem suscepisse, Hamanem amovisse, & Mardocheum in locum substituisse dicitur: Sed perpetuam ibi mansionem habuisse non additur. Possunt Monarchæ per annum alicubi degere, & alio anno alibi agere. Sic Reges Poloniæ duos annos in Poloniâ, & unum in Lithvaniâ prisco instituto degere debent:) E. non aliquis Persarum Rex fuit. Illi n. alibi æstate, hyeme alibi agere soliti fuerunt, ut *t.* 25. dicetur: Et Persepolis etiam regia Persarum fuit, *Curt. L.* 5. *c.* 6. Vt & Pasagardæ, Ctesiphon: Unde ex eo nos contrarium colligimus ejus, quod dissentientes indè deducere volunt. 3. *Quòd* Histaspis Susas ædificasse dicitur, intelligendum, quòd vel collapsam restituerit, vel magnificis ædificijs eam restaurârit, & velut novam reddiderit. Hoc enim etiam exstruere authoribus dicitur. Imò Aelianus expressè ab eo auctam ac illustratam scribit. Sic Augustus Romam lateritiam se accepisse, marmoream relinquere dixit. *Sueton. in*

Aug. C. 29. *Et Aur. Victor in Aug*: Nero Romam exſtruxit, quia ambuſtam reſtituit, & novis ædificijs ornavit, *Tacit. Lib.* 15. *ann.* C. 6. Suſas illigatis auro lapidibus Memnonem ædificaſſe ſcribit *Caſſiodorus* L. 7. *Variaru.* Sic *Romulus* Romæ conditor dicitur, cum tamen Rex Evandrus Romanæ conditor arcis *Virgilio* 8. *Æneid.* dicatur. Ita Daniel Suſis fuiſſe dicitur, cum Viſionem de Regno Perſico & Macedonico vidit. *Dan.* 8. *v.* 2. Cum tamen in Babylone aliàs captivus eſſet ſub Belſazare Rege, ſub quo viſio illa facta, *v.* 1. qui Babylone habitaſſe legitur.

10. 5. *Aſſverus* nomen commune omnibus regibus Perſicis fuit, unde tam uni, quàm alteri tribui poteſt. *R. E. nec præcisè* pro Dario Hiſt: militare poteſt, ſed quicunque alius ex Perſicis regibus hîc intelligi poterit, & diſſentientes intentum non habebunt. Sed qui in Libro Eſtheræ ſic vocatur, *proprio nomine, non Communi, ita dicitur.* Filius n. ejus Darius Medus dicitur, *Dan.* 9. *v.* 1. At nemo filius alicujus reſpectu communis nominis aut dignitatis dicitur, ſed proprij. Sic Rehabeam filius Salomonis dicitur, 1. *Reg.* 12. *v.* 23. Non a. Jedidiæ, quomodo eum Nathan Domini gratiâ appellaverat, 2. *Sam.* 12. *v.* 25. 6. *Hiſtaſpis* grande convivium omnibus præfectis fecit, & 127. provincijs ab Indiâ usq; ad Æthiopiam præfuit, *Vt Lib.* 3. *Esdr. c.* 3. *v.* 1. *ſeqq.* dicitur, & Joſephus tradit *L.* 11. *ant. c.* 4. Idem Indos ſubegit, ut *Herodotus L.* 4. tradit. Quibus ſimilia hîc in Eſtherâ de Aſſvero dicuntur. E. maximè Hiſtaſpis ille Aſſv. eſt. R. *Hæc omnia illi* cum alijs communia eſſe posſunt, Ut convivia inſtruere, multis imperitare, Indias ſubjugare. Cyaxares Medus magnam Aſiæ partem, Mediæ & Lydiæ imperium tenuit, & Medi ante Perſarum Monarchiam potentiſſimi fuerunt, *t.* 29.

11. *Et Xerxi, Mnemoni, Longimano,* ea competere poſſunt, non determinatè id pro Hiſtaſpi concludit. Paria ſæpè à regibus fiunt, unde non firmiter pro hoc aut illo concludi poteſt. Vt convivia parare. Sic Dario Hiſtaſpis grande convivium adſcribit *Ioſephus cit. l.* Et Artaxerxi Longimano Xerxis Filio etiam, C. 6. Et quem Aſſverum Eſtheræ facit. Et illud Convivium *L.* 3. *Esdr.* eſt Darij Nothi, non Hiſtaſpis, ut temporum ſeries tradit,

& *Junius in C. 2. L. 3. Esdr. v.* 16. advertit, qui futilem & vanam hanc historiam esse in *C.* 3.*v.* 1. omnes oculatos videre posse addit, & Pseudoesdram Josephum hic magis sequi voluisse, quàm verum Esdram ait, *c.* 2. *v.* 16. Qui *Josephus* non in omnibus historijs Persicis accuratus est, *t.* 15. In Estherâ Assverus Rex 127. provinciarum dicitur, non præcisè eas subegisse, quod de Histaspi *Herodotus* tradit. Nam & is Rex, qui possidet, etsi alius ante eum subegerit. Sub Xerxe primùm Persæ Insulas maris mediterranei subegerunt, ut quidam putant, qui Artax. Mnemonem proinde ex Asvero faciunt, *t.* 20. Sic Histaspis nondum tanta possedisset. 7. *Assverus* hic regnum sibi & majoribus â Deo traditum ac conservatum agnoscit, *C.* 16. *v.* 10. *V. t.* 5. Hoc pulcrè cum voto Histaspis covenit, quod Deo cœli fecit, ut regnum Persarum obtineret, 3. *Esdr. C.* 4. *v.* 45. *Josephus c. l.* E. maximè is Histaspis est. R. *Et hoc* cum multis alijs commune habere potest. Sic Cyrus idem agnovit. 2 *Chron.* 36. *v.* 23. *Esdr.* 1. *v.* 2. Nebucadnezar, *Dan.* 4. *v.* 18. 34. *alijq;.* Et Ahasverum votum fecisse Apocryphus tantùm Esdra & Esthera di unt, Canonici non habent: Ac Darij Nothi propriè illud votū est, de quo 3. *Esdræ c.* 3. & 4. agitur, ut *t.* 10. dictū.

12. *V II. Alij* Artaxerxem Priscum filium Darij Medi, de quo *Dan.* 9. *v.* 1. mentio, Assverum nostrum faciunt, ut *Metasthenes.* Etiam falsò 1. *Quia* nullus historicorum Artaxerxis Prisci in Monarchiâ Persarum meminit, & Dario Medo immediatè Cyrus successit. *Josephus L.* 11. *c.* 1. *Alstedius* Assveri Prisci meminit *C.* 18. *t.* 7. Historic: Sed per eum Astyagem Patrem Darij Medi intelligit, eumq; ab Assvero pio, marito Estheræ, de quo hîc sermo est, quem Xerxem putat, distinguit. Sed Astyages ad Persicos Reges eorumq; Monarchiam non pertinet, de quibus hic sermo, & in quibus nullum Artax. Priscum agnoscimus. 2. *Quia* Darius Medus nullum Filium habuit, qui ipsi succedere potuit, sed Sororis suæ Filiam Cyro elocavit, eumq; generum sibi fecit, quemq; Babylon: oppugnaturus in auxilium vocavit, qui Babylonem cepit, & Darius vix unum annum a captâ ea vixit, regnumq; Medorum, Persarum, & Chaldæorum Cyro reliquit, qui immediatè illi successit, ut Historici consentienter docent, *Pezelius in Mel-*

lif. Alstedius in Hist. C. 17. *Josephus l. c. Herodotus, Scharpius in Symph. aliiq;.* VIII. *Alij* Xerxem Assverum nostrum faciunt, & multi quidem ex omnibus Scriptoribus. *Ex Papistis Genebrardus in Chronol. Ex Lutheranis Helvicus in Syn. Chron. m. 2. t. 3. Calvisius in Chron. Fabricius in part. Hebr. C. 11. & 23. Gerhardus exeg. d. Script. t. 132. Micrelius L. 1. f. 2. Hist. Eccles. q. 39. Danhauuerus idea Interp. p. 1. t. 86.* Friedlieb *in L. Esthr. f. 1. Behmius in Chron. Buntingus Darium Ahasver. facit.* Sed quem ex Persis intelligat, non exprimit. *Ex Reformatis Jos. Scaliger L. 6. d. Emend. temp.* Qui de eo dubitantes nullo ingenio, negantes malignos, ut & interpretes translationem illam non secutos, plumbeos, asinos, ac cerritos audacissimè vocat. *Junius in C. 1. Esth. v. 1. Martinius in mem. Bibl. ad Lib. Esth. Graserus in ult. verb: p. 16. Alstedius L. 2. præcogn. Theol. C. 116. Et Hist. C. 18. n. 1 & 4. Et Politica 2. C. 16. n. 1. Piscator Ind. Bibl. Voce Ahasv. Et notis in c. 1. Esth. v. 1. Et si p. 2. Indicis* aliter, *V. t. 7.* Falsò & hoc. 1. *Non* contigit sub Monarchiâ Persarum Historia hæc, sed ante eam, *t. 25.* E. nec Xerxes ex illa Monarchiâ hic Assverus esse potest.

13. 2. *Quia* Herodotus & alij, qui Xerxis vitam diligentissimè descripserunt, nihil de Judæâ muliere in matrimonium ductâ, priore Reginâ repudiatâ, Hamane in crucem acto, meminerunt, quod mirum esset, tàm memorabiles res tàm alto silentio prætervectas, nullo verbo ab illis memoratas esse. *Conf. t. 3. 4.* 3. *Quia*, quæ de Amestri Xerxis uxore *Herodotus, Ctesias, Diodorus, Aliiq;* tradunt, in Estheram Assveri nullo modo quadrant, ut *t. 14.* patebit. 4. *Quia* quæ de Xerxe authores, & de Assvero Liber Esther tradunt, etiam non conveniunt. *Xerxes* pompâ Martis & belli occupatus, & milites colligit; *Assverus* Veneris, & de uxore sollicitus est: *Xerxis* Præfecti milites conquirunt, *Assveri* Uirgines: *Xerxes* omnia in Regionibus suis bello commovit, turbulenta & inquieta reddidit, dissidia ac motus concivit. *Assverus* hymenæum adornat, novam conjugem ducit, convivia nuptialia agitat, lætitijs, solennitatibus, & ludis indulget, & immunitates ac quietes incolis concedit, ac donaria elargitur. *Esth. 2. v. 18.* Et in pace administrasse provincias ex toto hoc libro videtur. C. 10. *v. 1. 2. 3.* Non bellis, ut *Xerxes.* 5. *Quia* Xerxes 7. anno Regni, quo Esthe-

ram

ram duxisse debuit, *Esth.* 2. *v.*16. non Susis fuit, sed vel in Sardibus, vel in Græcia, non nisi octavo anno domum reversus, *Vt Per Kinsus p.* 74. *dig.* docet. Non ergò noster Assverus esse potest, qui septimo anno Estheram duxit.

14. *Dices* I. *Herodotus expressè* uxorem Xerxis Amestrim vocat. At hoc cum Cham Esther Hebræo propinquissimum est. E. Estheræ maritus Xerxes est. R. 1. Hic ludus in vano literarum sono & nominum consonantiâ est, quæ & in diversissimis subjectis esse potest, prout de Atossâ *t.* 8. dictum. Sic Assveri nomen multis Persis & Medis commune, subjecta diversissima, *V. c.* l. 2. Ingens discrimen inter nostram Estheram & Herodoti Amestrin est origine, religione, moribus. Amestris Persica mulier fuit, Othanis filia, vel ut Ctesias appellat, Onophæ, qui in belli apparatu inter alios duces Persarum ab *Herodoto L.* 7. recensetur. Nostra Judacia & Judæi filia, *t.* 8. *Amestris* Ethnica est, nostra Judaicæ fidei & devotionis. Amestris crudelissima fuit, in provectâ ætate 14. illustrium Persarum liberos vivos defodit, ad gratiam Deo pro se referendam, qui sub terrâ esse feratur, *Herodotus L.* 7. Eadem accitis satellitibus uxorem Masistæ fratris Xerxis horribiliter excarnificavit, mammas præcidit, & canibus devorandas objecit, nares, aures, labra, lingvam, præsecuit, & sic mutilatam domũ remisit. Quî hæc in Estheram, mitem, piam, ac devotam fæminam quadrent? Amestris Herodoti longè antè annum septimum, quo Estheram à Xerxe ductam *Scaliger* ait, Darium peperit, cui Masistæ Filia nupsit, idq; agente Xerxe, cum è Græciâ victus Sardes se recepisset, priusquàm Susas rediret. *Herodot. L.* 9. Amestris impudica mulier fuit, & alienis amoribus indusit, ut *Ctesias* tradit. Quis de Estherâ id suspicari ausit? Tantæ diversitates non patiuntur Herodoti Amestrin cum nostâ Estherâ confundere.

15. 3. *Ahasveros* Hebraicum etiam cum Ozyares vel Xerxes Persico convenientiam habet, Osſverus & Ozyares. E. is Assverus Xerxes est. *R. Satis* remota hæc convenientia est: Et licet aliqua esset, ad rerum convenientiam inferendam, invalida esset. *V. t.* 8. Etiam ad Artaxerxem convenientiam habet. Cur non

Lon-

Longimanum aut Mnemonem *Scaliger* inde conficiat? 4. *Josephus* Xerxem ex Ahasvero Estheræ marito facit, *L.* 11. *c.* 6. *R.* *Ejus* authoritas in historiâ Persicâ exigua est, sæpeq; Sacræ *Esdræ & Nehem.* Historiæ contraria. Sic Nehemiam in Judæam anno 25. Artaxerxis venisse dicit *L.* 11. *c.* 5. Qui propriè anno 20. venit. *Nehem.* 2. *v.* 1. Cambysi sex annos tribuit, *V. t.* 5. Cum 7. aut 8. ei tribuendi. Magis post Cambysem integrum annum tribuit, *L.* 11. C. 3. Cum 7. menses tantùm fuerint. Templum Salomonis anno 592. ab exitu ex Ægypto Structum ait, *Lib.* 8. *antiq.* C. 2. *n.* 3. Cum Scriptura 480. annum ponat 2. *Reg.* 6. *v.* 1. In tempore Captivitatis Babylonicæ usq; ad Alexandri M. tempora in enumeratione ac applicatione regum gentilium ad Biblicas Historias graviter hallucinatus est. Satius fragmeta *Berosi* à Josepho citata nos sequi ait *Helvicus*, quem & ipse Josephus sequi debuisset, in *Vind. Locor. ad Dan.* 5. *&* 6. Regibus post Nebucadnezarem tot annos assignat, ut ad Cyrum non 70. sed 100. anni emergant: Imò in ipsâ Chronologiâ Judaicâ multùm sæpè aberrat, ut *Xylander in annot ad l.* 1. *Sleid. d.* 4. *Imper. p.* 59. 61. observat. De rebus Christi parum aut nihil nos ipsi debere ait *Baronius*, multaq; ab eo aliter, ac ab Evangelistis, Scripta dicit *T.* 1. *ann. n.* 227. Ut jam *in Natal. t.* 16. dixi. Et Josephus no Xerxem, sed Artaxerxem & Cyrum Xerxis Filium eum vocat, quem nos Darium Longimanum dicimus, & ad nostrum Assverum etiam non quadrare asserimus. *V. t.* 16.

16. *IX. Alij* Dario Longimano ut marito Estheram addicunt, *Ut Josephus c. l. Nicephorus Constanti. in Chron. Suidas, Vives in L.* 18. *de Ciu. Dei, c.* 36. *Rup. Tuitiensis L.* 8. *d. Victor. Verb. c.* 5. *Bellarminus L.* 1. *d. Ver. Dei, c.* 7. *Sabellicus enn.* 3. *d.* 3. *Petavius L.* 12. *Chron: Menochius ad c.* 1. *Esth. Chr Matth. in Dario Medo, C.* 1. *t.* 5. *Et Lõgimano c.* 1. 2. *Henr. Philippi in qu. Chron. in L. Esth. t.* 20. *Salianus ann. M.* 35 90. *n.* 7. *Bellarminus c. l,* etiam *Sulpitium* addit. Verùm eum magis pro Mnemone facere *H. Philippi* censet *t.* 13. Falsò & hoc. 1. *Quia* hic Rex propensissimus in Judæos fuit, Urbem & templum ædificari permisit, Vasa & immunitates varias concessit. Quomodo ausus esset toti Judæorum internecioni aliquis sub eo incumbere, ut

ut Haman fecit, & consensum Regis promptè impetravit, ut hic sub Assvero? *Valdè etiam* mitis hic Rex fuit, ut in pœnis apud Persas usitatis multa immutaret. Sed Assverum rigidũ fuisse tot9 *Estherâ* liber ac additamenta eius docent. *V. C.* 4. *v.* 11. 16. *C.* 5. *v.* 1. *seq. C.* 15. *v.* 6. Et severa Vasthi repudiatio, in subditorum suorum sangvinem & fortunas Judæis permissa ultio, supplicium Amanis, principis sibi familiarissimi, præceps, & filiorum eius promptè concessum, similiaq; docent, C. 7. 8. 9. 2. *Quia* nullus Persicorum Regum hic Assverus fuit, *t.* 25. E. nec Longimanus.

17. 3. *Quia* Mardochei & Estheræ ætas id non ferunt, Mardocheus ad 170. annos & ultrà habuisset, Nam sub Jechoniâ in captivitatem jam abductus, *Esth.* 2. *v.* 6. Et expressè C. 11. *v.* 3. Ubi jam 70. anni Captivitatis sunt, Nec in parentibus aut majoribus eò translatus dici potest, Ut *Bellarminus & alij* respondent. Non n. ad descriptionem Mardochei, *Esth.* 2. *&* 11: id quadrat, non enim Majores eius, quos describere hic non necessum est, Cum de illis nulla tractatio hic instituatur, *sed Mardocheum describere textus intendit*, de quo hæc historia hic tractabit, non de majoribus eius: *Nec Ullum* exemplum talis abductionis descriptæ in Sacris est, Ut aliquis in majoribus suis abductus dicatur, non in sese. Nam quæ ex *Nehemi.* 7. *v.* 7. *Gen.* 46. *v.* 27. *Deut.* 10. *v.* 22. adducuntur, vitiosâ translatione Latinâ alijsq; vitijs nituntur. *Nehem.* 7. Captivitas deportata dicitur, è quâ illi redierunt. Sed ipsos omnes deportatos fuisse ibi non dicitur, sed Vulgatus vitiosè itá reddit. *Gen.* 46. familia, ad quam ingressi in Ægpytum pertinent, 70. animarum esse dicitur, non totidem in Ægypt. ingressos esse. *Deut.* 10. numerus rotundus pro non rotundo more Scripturæ adhibetur: *Vel* tò cum reddi debet per in, Ut sæpè aliàs, Ut in 70. animab. in Ægyptum descenderint, duobus Josephi filijs nempè connumeratis, qui jàm in Ægypto erant. *Deinde* Persarum Monarchia usq; ad Longimanum ad 100. aut etiam 150 annos extenditur. *Bellarminus* 165. annos ponit. *Esto*, Mardocheus an. 4. vel 6. fuerit, Cum in Captivitatem ductus fuit: Fo-

ret ætas eius 170. annor. Et ultra. At quomodo ad aulica officia ac præfecturas in tàm gravi ætate idoneus fuisset? Quòd *Scaliger* 200. aut 165. vel 190. annis vixisse dicit, sine ratione dicitur, nec vestigium eius in sacris aut *Josepho L.*11.*C.* 6. de eo est, Ut de Nehemiâ, *t.* 6. *Micrelius* quidem *Philonem* tradere ait, Mardocheum 197. annos ætatis attigisse, *f.* 2. *Hist. Eccles. q.* 39. Sed *nec* locum allegat, *nec* quidquam eius apud Philonem reperio: *Nec* an Fides statim hic adhibenda, satis liquet. Sanè viuaces quidam fuerunt, Ut *Dec.* 2. *Misc. d.*9. recensitum. Sed & paucissimi illi; & non ad 190.aut 200. Sed 120. 105. 110. annos devenerunt, Et multa ultra fidem aucta videri queant. *Esthera* verò licet in captivitate nata esset, ad Longimani tamen tempora vetula annorum 80. & ultrà facile esse potuit. Quis inter juvenculas eam pro rege conquiri, inter formosissimas censeri, & ad conjugium cum Assvero ineundum idoneam esse potuisse dicat, Cum perpetuò ut juvencula describatur, *Esth.* 2. *v.* 8. 9. Et alibi? 4. *Quia* Mardocheus sub Cyro in Judæam rediit, *Esdr.* 2. *v.* 2. An in Persiam revertisse credibile est, gentilem & Ethnicam terram, & ibi sub Cambyse, Histaspi, Xerxe, usq; ad Longimani annum 7. Quo Estheram duxisse debuit, *Esth.* 2. *v.* 16. vixisse, Cum libertatis beneficio uti posset, & patriæ ac cultus Judaici amantissimus & tenacissimus esset? Non credibile hoc, nec historia indicium ullum de eo habet. Ante Cyrum igitur & solutam Captivitatem Babyl: hæc gesta videntur.

18. *Dices* 1. *Josephus* expressè id Longimano adscribit, *c. l.* R. *Eius* authoritas in rebus Persicis & aliis non stringit, *t.*15. Josepho Eusebius in Chronicis opponi potest, negans; sub Longimano historiam hanc accidisse. 2. *Verisimile*, Nehemiam huius regis pincernam esse potuisse, quòd & Esther regina, & Mardocheus palatii præfectus esset, eoq; Nehemiam in promouendo ad officinm juverint. R. *Non ideò*, Sed quod Rex naturâ clemens mitisq; esset, calamitatum in Judæis misereretur, dolore ac pallore Nehemiæ moveretur, edictorum Cyri observans esset, & sic Nehemi: pincernam ac præfectum pro restituendâ Jerusalem cultuq; Judaico constitueret. 3. *Etiam* quorundam antiquorum apud

apud *Eusebium, ut Nicephori, Sabellici, Ruperti, Vivis*, est. R. *Non tàm*, quorum & quàm antiquorum sit, spectandum, sed quàm vera, Estheræ libro & Synchronismis eius totiq; Chronologicæ seriei ac historiæ conveniens sit, quæ non facilè in Persarum aliquem Monarcham hunc Estheræ maritum transferri patientur, *t.* 24. 25. 4. *Et nomen* Ahasveros & Artasastha, & benevolentia in Judæos, & veri DEI agnitio, regni amplitudo, diuturnitas, commoratio in Perside, morum similitudo, omnia ad hunc Darium conveniunt. R. *Hæc* omnia ipsi cum alijs Persicis regibus communia sunt, Ut determinatio ad hunc præcisè regem non sequatur, ut Histaspi, Xerxe, Mnemone, nec tamen huius sententiæ authores eorum aliquem Estheræ maritum inde faciunt. *Conf. t.* 8. Morum similitudo non usq; quaq; hic convenit. *V. in simili t.* 7. *Et t.* 16. Proprium nomen Assveri in sacris illi tributum esse nunquam probabunt, quod nos de nostro apertè probamus. *V. t.* 3. 25. 5. *Omnia* quæ reliquis regibus obijci possunt, in hoc rege locum non habent. Vnde maximè commodè Longimanus Estheræ Assverus esse dicitur. R. Quædam omninò ei obijci possunt, Vt senium Mardochei & Estheræ, Utriusq; reditus é Palæstinâ in Persidem improbabilis, Natura eius ab huius Assveri naturà abludens, & similia, quæ *t.* 16. 17. adducta. *Deinde* nec sequitur, si reliquis Persis non conveniat Assverus Estheræ, E. huic. *Nulli* enim Persarum Regum convenire possit, sed alicui ante Monarchiam illorum, Medo nempé alicui, quod in nostro casu maximé probabile esse dicimus. *V. t.* 24. 25.

19. X. *Alij* Artaxerxi Mnemoni Assverum nostrum adijciunt ut *Eusebius in Chron. Beda de 6. ætat. Isidorus in Chron. Hieronymus in C. 4. Ezech. Pererius L. 4. Phy. c. 4. & L. 10. in Dan. p. 422. Et L. 13. in Dan. c. 11. Sigonius in Sulpitium: Et Sulpitius ipse l. 2. sacr. hist. Vt Herr. Philippi, Pererius, Serarius, &* alij contendunt, quanquam alij Dario Longimano id tribuere eum pugnent, de quo alibi, *Torniellus ad an. 3651. alijq;*. Falsò & hoc 1. *Quia* nullus Persicorum regum noster Assv. est, *t.* 25. E. nec hic. 2. *Quia* liber Esther hoc pacto non esset Canonicus. *Josephus* enim eos libros, qui

post Artax: Longimanum scripti, non esse in Canone scribit, *L. 1. con. Appion.* Ab Esdrâ n. Cannonici in ordinem numerorum 22. redacti, cujus vita ultra Longimanum non extenditur. At hic liber ab omnibus tàm Judæis, quàm Ghristianis Canonicus habetur. *Josephum* a. hîc lapsum esse cum *Torniello* dicere est improbabile. 3. *Quia* quæ Plutarchus, qui Mnemonis vitam diligenter descripsit, de Mnemone eiusq; uxoribus scribit, in Estheram nostram prorsùs nón quadrant. Duas ei uxores tribuit, *Statiram* Idermis Persæ filiam, ante regnum sibi junctam, ut & *Ctesias* oculatus testis annotat, & nunquam ab aula vel regio thoro rejecta fuit, ut Vasthi, sed Regina existens veneficio extincta cum ingenti regis dolore est: Nec anno 7. regni ejus demùm ducta est, ut Esther, *Esth.* 2. *v.* 16. sed antequam regnare cepit, ei jam sociata. *Atossa* similiter non repudiata, sed usq; ad mortem cum rege vixit. Non ergò etiam Vasthi esse potest. Et Atossa Persica mulier fuit, & ilia quidem ipsius Artaxerxis, Esthera a. Hebræa & Judæi filia, *t.* 8. *Tertia* uxor similiter filia Mnemonis fuit, ut per has nec Vasthi, nec Estheræ locus apud Mnemonem relinquatur. 4. *Quia* ætas Mardochei & Estheræ non fert, sub Longimano Historiam contigisse, *t.* 17. E. minus sub Mnemone, qui post Longimanum regnavit. Gravius n. adhuc senium imponetur utriq;; quod improbabile.

20. *Dices* 1. *Amplitudo* provinciarum nulli meliùs competit, quàm Mnemoni. Præcedentibus enim non ita tribui potest. Sub Xerxe n. multæ defecerunt. R. *Et Cyrus ac Darius* amplissimum regnum habuerunt, nec illis tamen Assverus ab illis scriptoribus addicitur. Etiam Medi amplissimè imperitârunt, ut & eorum alicui adscribi possit, *t.* 29. Et licet unum esset, quod consensum Assveri eliceret, plura tamen obstant, quæ impediunt. 2. *Multi* Veteres huic sententiæ adhærent, *t.* 19. R. *Non quis*, sed quid dicant, attendendum *t.* 18. 3. *Atossa* Vxor Mnemoni tribuitur, quod & Estheræ nomen est. R. *Sed* nihil præter nomen commune cum nostrâ Esthera habet, *t.* 29. Etiam alijs ejus nominis uxores tribuuntur, *t.* 8. Quos non statim pro Assvero

vero nostro arripiunt dissentientes. 4. *Majestas*, gravitas, potentia & magnificentia aptissimé huic tribuuntur. R. *Non magis*, quàm Histaspi, Xerxi, aut Longimano, quibus tamen hi autores non subscribunt. Et communia hæc cum multis sunt, undè non pro determinato individuo inferri potest.

21. XI. *Alij* Artaxerxem Ochum ex Assvero faciunt, *ut Serarius in C.* 1. *Esth. q.* 3. *Gordonus an. M.* 3643. *Et ad finem C.* 14. *Adricbomius an. M.* 3544. Falsò & hoc 1. *Quia* si nullus Persicorum Regum, E. nec hic, *t.* 25. 2. *Quia* ætas Mardochej & Estheræ adhuc grandævior evadet, quàm sub Longimano & Mnemone, *t.* 17. 19. Ultra 200. annos n. Mardocheus habebit. Eoq; huc prorogari historiam non feret. 3. *Quia* nullus Veterum historiam Esther eousq; projicit, tantùm pauci recentiores ita sentiunt. 4. *Quia* Liber Esther hac ratione non esset Canonicus. Sub Longimano n. Esdras Canonem collegit, *t.* 19. Et qui postea accesserunt, pro verè Canonicis non sunt habiti. Quod contra communem omnium Christianorum sententiam. *V. t.* 2.

22. *Dices* 1. *Nomen* Assveri à Græcis Artaxerxes verti solet. R. *Hoc* tàm pro Longimano ac Mnemone, quàm Ocho militaret, non præcisè huic inferri permittat. 2. *Res* ipsæ hìc narratæ ad nullum commodiùs, quàm Ochum referuntur. Non enim Longimano aut Mnemoni adscribi possunt. R. *Nulli* Persicorum Regum adscribi possunt, *t.* 25. Et sic nec tàm huic, quàm alij è Persicâ Monarchia. 3. *Aman* cogitavit regnum Persarum ad Macedones transferre. *Esth.* 16. *v.* 14. E. Hanc Historiam Macedonum Monarchiæ propinquam esse oportuit, cum Macedonum vires Persarum regibus jam suspectæ esse ceperunt. Antea n. viliores fuerunt, quàm ut suspicionem Persis moverent. R. 1. *Apocryphus* Esther id dicit, Canonicus nihil de eo habet, Nec Macedonem, ut ille, v. 8. Sed Agagitam vel Amalecitam dicit, *C.* 3. *v.* 1. *C.* 9. *v.* 7. Ut de transferendo regno ad Macedones eum cogitasse nil opus sit, consequenter nec Macedon: Monarchiæ hanc historiam propinquam fuisse necesse sit. Et si ob id ad Ochum ea referenda, rectiùs ad Arsen aut Codomannum, ultimum

Persam referatur, ut omninò suspectior virtus Macedonica ex appropinquante eorumMonarchiâ Persis reddatur. 2. Quòd si maximè id Haman cogitasset, & gente Macedo fuisset, non propinquitati ad Monarchiam Macedonicam id adscribendum, sed quòd suo tempore, v. g. sub Astyage, Cambyse, Xerxe, suam gentem obscuram ac abjectam esse videret, eamq; â contemptu vindicare, ac translato ad se suosq; nobilissimo regno illustrissimam reddere quocunq; modo voluerit. XII. *Alij* deniq; hæsitant, non liquere arripiunt, nihilq; certi definiunt, ut *Grotius*, de quo *t.* 1. dictum.

23. Ita *de universis sententiis*, pro Assvero Estheræ occurrentibus, & qui non fuerint aut esse potuerint, dictum sit. Ulteriùs antequam determinatè de Rege dicatur, sub quo Historia Esther contigerit, & quis in individuo ille fuerit, *hypotheses quædam generaliores præmittendæ sunt*, quæ principia esse possint, quibus specialia firmiùs distinctiusq; deducantur. Quæ sequentes ad hanc rem esse queant. 1. *Hæc Historia in captivitate Babylonicâ contigit* & durante eâ, non post eam & solutâ eâ. 1. *Quia* ex totâ serie & habitudine libri ac historiæ in eâ contentæ id patet, sub tristi ac calamitoso statu Judæorum res extitisse, & consequenter nondum libertatem in Patriam redeundi, & urbem ac templum restaurandi accepisse. Hoc ostenditur 1. *Quia* Mardochei captivitas distinctè hîc commemoratur, & sub quo rege in captivitatem abductus fuerit, Jechoniâ scil. *Esth.* 2, *v.* 16. Non enim majorum ejus captivitas hîc describitur, *t.* 17. Et eo ipso insinuatur, tàm eum, quàm Estheram neptem ejus in captivo statu fuisse. 2. *Quia* expresse id C. 14. *v.* 6. 7. dicitur, quòd traditi sint Judæi in manus inimicorum suorum, nec sufficiat gentibus, quòd durissimâ eos servitute opprimant, sed robur manuum idolorum suorum potentiæ adscribant, DEI promissa de liberando populo immutare, & gloriam Templi ac altaris ejus, restaurandi nempè, quod etiam promissum erat, extinguere velint. Quod licet apocryphum sit, *aliquid tamen veri in historiâ contineri potest.* Sic Maccabæorum libri Apocryphi, pleraq; tamen

in historiâ, quæ recensent, vera sunt. At hæc omnia servitutis statum describunt. 3. *Quia* Esther ipsa etsi regia conjux, & in regium palatium assumpta, non ausa est Mardocheum Judæum sibi cognatum, aut Judæos suam gentem, unde ipsa oriunda esset, Regi patefacere, idq; scitu jussuq; Mardochei, *Esth.* 2. *v.* 20. Quod arguit, gentem illam adhuc abjectam ac contemptam, ut captivatam, fuisse: Metuendumq; fuisse, ne Assverus pœnitentiâ ductus, quòd è captivis ac invisâ Medis aut Chaldæis gente conjugem legisset, & ipsam Estheram repudiaret, prout Vasthi ante eam ex aliâ causâ repudiasset. 4. *Quia* ætas Mardochei & Estheræ non patiuntur ad Persicam Monarchiam & solutam captivitatem historiam reducere. Nimium enim senium utriq; conciliatur, quod â munere Mardochei, quod in aulâ gesit, & formâ ac statu Estheræ, qui floridiorem ætatem requisivit, totum alienum est, *t.* 17. Et quo seriùs in Persarum Monarchiam transfers, eò grandius utriq; senium alienè concilies.

24. 5. *Quia* credibile est, in ipsâ captivitate DEUM populo suo ob fideles & devotos, quos in eo habuit, quales Daniel, Ezechiel, Josua, Zorobabel, Esra, Nehemia, Mardocheus, Esther, insigne aliquod beneficium exhibere voluisse, populumq; in ipso servitutis statu refocillasse, exaltasse, & coram depressoribus suis splendidum ac illustrem conciliasse, *partim* ut tenaciùs sermoni de solvendâ captivitate & in patriam reducendis Judæis captivati illi adhærerent, *partim* ne prorsùs de DEO ac promissis ejus desperarent, sed favorem DEI sui manifesto exemplo in ipsâ miseria ac squallore deprehenderent, sicq; animosiùs DEO confiderent, ejusq; infinitam benignitatem promptius prædicarent: *partim* ut mori suo DEus satisfaceret, quo in medio tribulationum suis opitulari, eosq; erigere solet, Tren. 3. v. 22. 31. seqq. Sic Danielem & socios ad summos honores in ipsâ captivitate, apud Nebucadnezarem, Belsazarem, Darium Medum, evexit, *Dan.* 2. *v.* 48. C. 3. *v.* 30. C. 5. *v.* 29. C. 6. *v.* 2. 3. Nehemiam in pincernam regium, cum apud Persas adhuc captivus esset, *Neh.* 1.

v. 11. C. 2. v. 1. Josephum in ipsâ captivitate proregem Ægypti constituit, *Gen.* 41. v. 40. *seq.* Isaaco in peregrinatione sua in centuplum benedixit, *Gen.* 26. v. 3. 12. & alios. 6. *Quia* si extra captivitatem populus jam solutus sub Persis fuisset, non credibile est, aliquem toti Judæorum nationi excidium moliri ausum esse, ut hîc Haman fecit, & consensum Regis plenè habuit, ut tragædiæ nihil, nisi executio, defuerit. Pleriq; enim Persici Reges benevolentiâ Judæos complexi sunt, Ut Cyrus, Histaspis, Xerxes, Longimanus, Mnemon, Nothus, & edictorum Cyri observantes fuerunt, si Cambysem excipias, sub quo hæc historia contingere non potuit, *t.* 5. *Conf.* & *t.* 16.

25. II. *Non contigit hæc historia sub Monarchiâ Persarum.* 1. *Quia* Persici Reges magnam partem edicti Cyri observantes fuerunt, si Cambysem excipias, adeoq; nemo genti Judaicæ tantum excidium moliri ausus est, ac hîc Haman sub Assvero fecit, plenumq; Regis consensum & edictum de exscindendâ gente habuit. Nam in libertatem asserto populo talia moliri admodùm grave est. *V.* t. 16. 24. At captivato, presso, ac contempto faciliùs talia aliquem audere ac moliri credibile est. Captivis n. & vilissimi illudere, insidiari, & malefacere audent, *V.* 2. *Macc.* 1. v. 27. 28. 2. *Quia* Persici reges alibi æstate, alibi hyeme degere solebant, partim Susis, partim Ecbatanis, partim Persepoli, aut alibi, nec statas & perpetuas regias habuerunt, ut *Xenophon L.* 8. *Ælianus L.* 3. *C.* 13. & *L.* 10. *C.* 6. aliiq; tradunt. Assverus constanter Susis egisse dicitur, ut omnes authores, qui eum Medorum regem fuisse negant, consentiunt, etsi immotè ex lib. Estheræ id firmari non possit, *t.* 9. Non ergò ex Persicis Regibus fuit. 3. *Quia* nullus Persicorum Regum determinatè assignari potest, cui commodè tribuatur. Cyro nemo, qui mihi visus assignat. Cambysi pauci, sed alienè, *t.* 5. Histaspi, Xerxi, Longimano, Mnemoni, plures, sed omnes incommodè, & non satis ad Historiæ circumstantias aptè, *t.* 21. E. nullus è Persicis Regibus hîc Assverus est. 4. *Quia* ille modus legêdi conjugem ex collectis undiquaq; Virginibus Persicis Regibus prorsus insolens, & à superbâ eorum naturâ planè ali-

enus

enus fuit, ut quorum regia par Deorum potentiæ fastigium æmulabatur, ut *Curtius L. 6. c. 6.* loquitur, Sed Medis magis congruere videtur, qui cum vilioribus conjugia inibant, quomodo ipse Astyages filiam suam mediocri cuidam Persæ, Cambysi, in conjugem dedit, *Justin. L. 1. Herodot. L. 1.* E. Credibilius, Assverum hunc Medorum, quàm Persicæ Monarchiæ regem aliquem fuisse.

26. III. *Commodissimè sub Medorum regimine, & Astyage Patre Darii Medi historia facta censetur.* 1. *Quia* captivitate Babylonicâ durante, nondum solutâ, contigit, *t.* 22. Et sic ante Persarum Monarchiam. 2. *Quia ad* Persarum Monarchiam commodè referri nequit, nec Synchronismi satis aptè respondent, nec ulli regi ex illâ quadrat, *t.* 25. 3. *Quia* in sacris Astyages proprio nomine Ahasveros dicitur, non communi, *Dan. 9. v. 1. Tob. 14. v. 17. in Junii* versione, aut *in Græco v. 13.* Nam in Vulgato nihil horum est; Illiusq; nominis respectu Darius Medus filius ejus appellatur, *Dan. 9. v. 1.* Qualis nemo ratione communis nominis de aliquo dicitur, *t.* 10. Nec ullus alius in sacris eo nomine velut proprio appellatur. Nam Cambysi *Esdr. 4.* illud commune & appellativum est, *t.* 8. Non est autem Christiani, ductum Sp. S. in Scripturis ostensum etiam in historicis rebus relinquere, ubi ille satis apertè historiam & gestum quoddam aliquò ducit, & ad gentiles decurrere, aut illis potiùs relictâ Scripturâ adhærere. Ac quæcunq; de Assvero historia Esther dicit, commodè se ad Astyagem applicari patiuntur, ut quòd 12. annis regnârit, *Esth. 3. v. 7.* Astyages enim annis 25. regnavit, ut Historici tradunt; Quòd amplissimum regnum possederit, dives, splendidus, magnificus, elatus, iracundus fuerit, & similia, quæ de Assvero *Esthera* liber narrat. 4. *Quia* graves authores huic sententiæ adstipulantur, *t.* 3. 5. *Quia* nomina propria, quorum in Libro Esther fit mentio, Medica esse videntur, ut Charsena, Sethar, Meres, Marsena, Memuchan, *Esth. 1. v. 14.* Item Parsandatha, Dalphon, Aspatha, Poratha, Adalia,

Aridatha, Parmastha, Arissai, Vajesatha, nomina filiorum Hamanis, C. 9. v. 7. 8. 9. C. 1. v. 10. 14. Non Hebræa aut Persica, ut quidam censent. E. sub Medis hæc Historia contigit, non Persis. 6. *Quia Benjamin in itinerario narrat*, Mardocheum & Estheram in urbe primariâ Medorum Hamdâ magnâ sepultos esse, & suo tempore in eâ 50000. Judæorum fuisse. Et alii suspicantur provinciam Mardocheam inter Babyloniam & sinum Persicum sitam â Mardocheo nominatam esse, ut C. â Lapide in C. 10. Esth. v. 3. notat. Quæ si ita sunt, omnia Medorum regimen arguunt, nondùm Persarum.

27. Dices I. *Si Astyages hic Assverus est*, mirum est, nullum Scriptorem de rebus Medorum tàm insignem rem memoravisse, ut, quòd Rex uxorem abdicârit, puellam Judaicam vilem & pauperculam matrimonio junxerit, Summum Satraparum in crucem egerit, filios ejus omnes occiderit, Judæos in tantam eminentiam extulerit; cum aliàs diligenter res Medorum persequantur, *ut Berosus, Herodotus, Ctesias, Diodorus, Metasthenes, Justinus, aliiq́*. R. *Vel* ipsorum scripta non omnia ad nos devenerunt, *Vel* quæ habemus, non satis integra, verùm manca & mutila habemus, ut in multis aliis, velut *Platonis, Aristotelis, Senecæ, Taciti* scriptis idem contigit; *Vel* â silentio Scriptorum ad totam rem negandam non est firma satis consequentia, etsi ad circumstantiam aliquam negandam inde aliquid colligi queat, *V. t. 3*. Luce enim & tempore ferè Medorum res ac historiæ carent: Nam ut Mediterranei Græcis fermè ignoti, eoq́ non scripti: sic & Medi. Fermè ignotum est, an ante Dejocem Cyri regem maternum peculiares reges habuerint, ut *Scherdingerus c. respons. Frisii p.* 60. 61. ait. *Perkinsus in Digesto* primum eorum regem ponit Astyagem, *p. 75. Alii* tamen plures post divisam primam Monarchiam numerant, *ut Chr. Matth. p. 121. thea. Hist. Helvicus aliiq́*: *Vel* quia Judæi exosi gentilibus, raro, quæ magnifica & eminentia sunt, de illis commemorant, quale hoc est, sed potiùs abjecta, sordida, & vilia

& vilia de illis tradunt, quomodo etiam planè ficta ac ridicula de illis pro veri specie sæpè narrant, ut ex *Tacito l. 5. histor. Iustino L. 36. aliisq;* patet. Sic cum suem & asinum intra sacra ab illis culta esse ajunt, ut *Petronius in Sat. Tacitus c. l. c. 1. Plutarchus L. 4. Sympos. q. 6.* aliiq; , quorum commentis *Josephus c. Appion. Minutius in Octavio, Tertullianus in Apol. aliiq;* jam occurrerunt. Et sic etiam hanc Judæorum evectionem sub Assvero, quia sublimis & memorabilis, præterire maluerunt, quàm commemorare.

28. 2. *Saltem* Daniel aliquid de tàm nobili facto memorasset, qui etiam in captivitate fuit, & σύγχρονος Estheræ ac Mardocheo fuit, si sub Assvero Medo hæc gesta: Et res Medicas sub Dario Medo Daniel tangit *C. 6. & 9.* Cur de hoc facto totaliter siluerit? *R. Scivit*, peculiari Volumine historiam illam à Mardocheo jam descriptam esse, eoq; memorare nihil necesse duxit. Et plerumq; circa somnia, visiones, & prophetias scribendas se occupat magis, quàm circa meras historias, qualis hæc est, quam prætermisit. *Conf. t. 6.* 3. *Justinus* diligenter Astyagis vitam describens, nihil de hac historiâ meminit. *R. Ille* imperfectè multa descripsit, nòn plenè, & in aliis multa omittit, multa fabulosè tradit. In multis hallucinatur, & fragmenta tantùm de scriptis ejus ad nos devenerunt, non completa volumina. 4. *Etiam libri Regum*, Chron. Jeremias, Baruch, Ezechiel, Tobias, Judith, Medorum res, quod ad judæos sub illis attinet, tangunt, & nihil tàm insignis historiæ ac populi Judaici exaltati meminerunt. *R. Quia* nempè jam peculiari volumine à Mardocheo distinctè illa historia composita erat, non necesse habuerunt, specialiter ejus meminisse. Et magis respiciunt *Babylonios, Chaldæos, Ægyptios, Assyrios, Syros, eorumq; gesta*, à quibus plura passi Judæi, quàm à Medis, quorum rara apud illos mentio aut repræsentatio est. Quomodo, quando, à quibus in captivitatem ducti Judæi, maximè historici sacri & Prophetæ describunt: Quid in ipsâ captivitate gestum, paucis tangunt.

gunt. Sed *Liber Eſther* ex parte id explicat. Quid ſolutâ captivitate contigerit, *Esdras*, *Nehemias*, *Daniel*, *Maccabæorum libri narrant.* Eorum tempore volumen Eſther jam ſcriptum extitit, ideò ſupervacuum de eâ hiſtoriâ memorare habuerunt.

29. 5. *Nullus Medorum Rex* tantam amplitudinem provinciarum, Inſularum, & regnorum poſſedit, ut hic Aſſverus 127. Provincias, *Eſth* I. *v.* I. Sed Artaxerxes Mnemon primò eò devenit. Sub Xerxe Perſæ primùm Inſulas maris mediterranei ceperunt. E. nec hic Aſſv. Medorum rex aliquis eſſe poteſt. Hoc *Pererius* inprimis urget. R. *Concedit Pererius*, Cyaxarem & Aſtyagem potentiſſimos omnium Medorum reges fuiſſe, *L.* 10. *in Dan. p.* 422. Et ſub tempus inclinantis Monarchiæ Chaldaicæ potentes admodùm Medos fuiſſe, *in* C. 6. *Dan. v.* 2. Et Medi Perſas ſubegerunt ſub Phraorte Dejocis filio, qui utraq; gente validus mox Aſiam ſubegit, aliam ac aliam gentem invadendo, Aſſyrios deniq; oppugnavit, *Herodot. L.* 1. In Libro *Judith* Arphaxadi Medorum regis mentio eſt, qui Ecbatanam condiderit, Cujusq; potentia, exercitus, amplitudo, & ſuperbia ibi deſcribitur, *C.* 1. *v.* 1. *ſeq.* Quem potentiſſimum omninò fuiſſe ex deſcriptione illâ oportuit. *Imò* majus regnum Medorum, quàm Perſarum legimus, indeq; in 2. Monarchiâ Darius Medus ante Cyrum collocatus, *Dan.* 5. & 6. ait *Hieronymus in Daniel.* apud *Pezelium p.* 1. *Melliſ. p.* 29. Regnum Chaldæorum per Medos everſum iri prædicitur, *Eſai.* 13. *v.* 17. *Ierem.* 51. *v.* 11. 28. Quare ſub id tempus ruituri regni Babylonici validos eos eſſe oportuit. *Herodotus* Cyaxarem Medorum Regem Aſiæ imperium obtinuiſſe, ac populos in provincias primùm diſtribuiſſe ait *L.* 1. C. 18. 19. 20. Et regno à Scythis exutum, qui fuſo eo 28. annis imperium ejus obtinuerunt. Sed poſtea *Cyaxarem* Scytas iterùm dolo inebriatos interemiſſe, Aſiam recuperaſſe, Nineven expugnaſſe, Aſſyrios ſubegiſſe, & Lydos quoq; aggreſſum eſſe, *c. l.* Et *Bohmius d.* 1. *Chron. t.* 131. Potuit ergò ille multarum Inſula-

rum

rum Asiæ ad latus jacentium dominatum obtinere, etsi rex Medorum esset. Et Cyaxares Mediam, Lydorum regnum, & totam Asiam supra Halyn tenuit, ita amplum omninò regnum habuit, ac *Herodotus c. l. C. 20.* eum majoribus suis multò fortiorem fuisse dicit, ut haud dubiè multas provincias regnis suis adjecerit. Hinc *Astyages* filius ejus eas possidere potuit. Et ille ipse Astyag: Scythas in Asiam illapsos fraude iterùm ejecit, post Assyrios aggressus est, & Niniven metropolin solo æquavit. *Idem L. 1. Chr. Matthias in Cyax.* Idem *Herodotus L. 6.* antehac vetustis temporibus vel audire nomen Medorum Græcis terrorem fuisse dicit. Unde fortes ac bellicosos eos fuisse, & imperium suum latè extendisse consequens est. Græcis similiter varia prælia cum ipsis fuerunt, unde varia Medici belli contra Græcos mentio apud *Thucididem L. 6.* Itaq; non incredibile, latè sub Astyage Medos imperitasse, & Assveri provincias ac regni amplitudinem non absurdè Astyagi Medorum regi applicari.

30. 6. *Assverus* hic dicitur Artaxerxes, *Esth. 11. v. 2. C. 1. v. 1.* At tale nomen nemo nisi post Cyrum habuit, cum quo Persarum Monarchia incipit. E. non sub Medis, sed Persis historia contigit. R. *In Apocrypho* Esther ita dicitur: In Canonico & Daniele semper Assverus; & hoc proprium ipsi nomen fuit, *t. 10.* Et Artaxerxes nomen commune multis Persicis regibus fuit. E. & Medorum alicui regi ab Apocrypho Esther tribui potuit. 7. *Susa Regia* Persarum post Darium Medum primùm facta est. E. post eum hæc gesta, non ante eum. R. Et *ante* eum regia Medorum esse potuit, ut Cyaxaris, Astyagis, qui Medi Persas aliquando subegerunt, etsi postea Persæ vicissim Medos. Devictis Medis demùm Persarum regia ibi fuit. *V. t. 9.* 8. *Astyages* nullum filium habuit, sed unicam filiam Mandanem, Vt *Justinus L. 1. Herodot. L. 1. Valer. M. L. 1. C. 7.* tradunt. E. nequit Darii Medi pater esse. Consequenter nec ille Assverus, qui hic Estheræ maritus fuit, quem Astyagem dicimus. R. *Plus*

hic Scripturæ, quàm *Iuſtino*, fabuloſo in multis ſcriptori, inprimis ubi ad Judæorum res devenitur, credendum, quæ filium ei Darium Medum tribuit, *Dan. 9.* Et ex eo natum illum eſſe, ac Cyaxarem II. dictum narrat *Ch. Matthias in Aſtyage, C. 2. n. 3. Et Dario Medo. C. 1. n. 4.* *Cteſias* etiam alteram filiam ei addit, Amytin, quæ Cyro nupſerit. Sed hanc fabulam *Xenophon* refutavit, & alienus Cyri ab Aſtyage animus ſatis refellit, Vt *Idem* addit.

31. Quòd ſi omninò non legitimus filius fuit, ſaltem adoptatus, ut *Xenophon*, qui Aſtyagem à Cyro nepote bello preſſum Cyaxarem II. vel Darium Medum in filium adoptaſſe, regniq; hæredem dixiſſe tradit, ne Cyrus ad regnum deveniret, *Vel* naturalis fuerit, Vt *Herodotus* vult, & ex eo *Chr. Matthias* tradit *c. l. in Dario Med. C. 1. n. 5.* Quem Scriptura Darium Medum vocat, & fabuloſè *Porphyrius* Darium Hiſtaſpis eſſe contendit, contra Hiſtoriæ & Chronologiæ veritatem, Cum hic Perſa, ille autem Medus fuerit, & hoc longè antiquior ſit, ut qui ante Cyrum imperaverit, *Dan. 6. v. 1.* 9. *Nullius* Veteris Scriptoris hæc eſt ſententia, tantùm paucorum recentiorum. R. Quorumcunq; ſit, modò vera, & hiſtoriæ ac Chronologiæ congrua ſit, ſufficit. Hoc enim primariò hic attendendum. Et eſt ex antiquis *Philonis*, *Egeſippi*, *Cedreni*, *t. 3.* Vt non recentiorum tantùm eſſe deprehendatur. 10. *Nunquam Medi* DEUM Judæorum coluiſſe leguntur. Sed de Cyro & poſteris ejus id demùm traditur, *2. Chron. ult. v. 23.* *Esdr. 1. v. 2. C. 6. v. 9. 10. C. 7. v. 17. ſeq.* At hic Aſſverus DEUM Judæorum agnovit, *Eſth. 16. v. 16.* Non ergò Medus aliquis fuis. *R. Antecedens* falſum eſt exemplo ipſius Darii Medi, qui occaſione mirabiliter liberati Danielis DEum Danielis per totum regnum ſuum coli ſingulari edicto imperavit, *Dan. 6. v. 26.* Ejusq; vim jam ante liberatum Danielem agnovit, *v. 16.* Et illud de Aſſvero *in Apocrypho* tantùm Eſther dicitur, *In Canonico* nulla ejus mentio, Imò ne DEI quidem per totum librum eſt mentio, *t. 31.* Vt DEUM Judæorum eum coluiſſe hinc deduci

deduci non liceat. Et licet per conjugium cum Estherâ ad agnitionem DEI Judaici ductus esse Assver. videatur; Non tamen id in verâ Esther historiâ traditur, quia ad rem, quam narrare liber ille intendit, hoc non pertinuit, nempè quomodo sub Assvero pressi & liberati Judæi fuerint, non autem quomodo Medus ille ad DEUM Israëlitarum conversus fuerit. Nihilq; absurdi est, *etiam Medorum aliquem regem occasione singulari aliquâ ad DEUM conversum fuisse* ante Persas, etsi nullus Scripturæ Liber id memoret, prout & Chaldæorum rex Nebucadnez. conversus, *Dan.* 4. Pauca enim de rebus Medorum Scriptura tradit: Magis reliquos reges narrat, à quibus plura passi aut nacti Judæi, *t.* 28. Multaq; contigisse certum est, quæ non scripta sunt, *Ioh.* 21. *v.* 25.

32 Ista *de Ahassvero Esthera* ejusq; tempore ac historiâ dicta sint. Jam cum ad Esth. librum delati simus, *pauca quædam Coronidis loco* ex eodem libro deprompta hactenùs traditis subtexere liceat. *Quæritur* 1. *Cur nulla prorsùs mentio DEI in hoc libro sit, contra morem omnium aliorum librorum Biblicorum,* in quibus mentio DEI à Genesi usq; ad Apocalypsin est. Sed hic nulla deprehenditur, ut capitum perlectio ostendit. *In Apocrypho* Esther mentio DEI est, C. 10. *v.* 4. 9. 10. *seq.* C. 11. *v.* 8. 10. Et passim; Sed *in Canonico* nulla. Tantùm generaliter dicitur C. 4. *v.* 14. Si hoc tempore silueris, liberatio Judæis aliundè constabit. *Quæritur, quæ hujus ratio?* *Vel* quia fortè & casu id ita factum: *Vel* quia sub rege gentili, impio, superbo, & crudeli historia gesta, qui DEUM Israëlis nihil curavit, populumq; ejus exscindere cogitavit, Vitiis etiam aliis notabilis fuit, *t.* 7. 16. Non æstimavit Sp. S. dignum, augustum DEI nomen profani regis historiæ intexere. *Vel* quam ob causam in toto libro DEI nomen omissum sit, nobis distinctè non constat, & dici non potest. 2. *Cur Esther & filios Hamanis suspendi rogavit, Cum jam interempti essent, Esth.* 9. *v.* 13. Annon animum vindictæ cupidiorem in eâ id arguat? *Partim* quia Haman tàm infame supplicium Mardocheo patruo ejus haud dubiè scien-

tibus

tibus & approbantibus filiis destinârat, Vnde æqvum fuit, pessima consilia in capita Consultorum & approbatorum recidere, inter quos & liberi Hamanis fuerunt: *Partim* ut atrocitas ac immanitas consilii Hamanis de tot millionibus hominum innocentum, etiam mulierum & puerorum, ne quis in virum evadens tantam gentis stragem ulcisci posset, per latissimum Medorum regnum exscindentis tàm infami suspendio ob oculos poneretur, Vix enim in ullâ historiâ simile quid occurrit;

33. *Partim ut* patrem & filios ejusdem farinæ homines, infideles, truculentos, barbaros, feros, & veros Cyclopes extitisse ostenderetur, qui nonnisi innocentum sangvine satiari potuerint: *Partim ut* ingens damnum, quod è tanto numero hominum occiso in ærarium regium manaret, evidentiùs patesceret: Tanta enim Judæorum multitudo immensis tributis ærarium locupletare, plurimas & utilissimas operas Regi præstare potuit, dum plures validosq; milites pro sui ac regni tutelâ ex illis conscribere, ut sapientes ac prudentes provinciis suis regendis præficere, ad omnes commoditates pacis & belli eos adhibere, regnumq; suum auctius, firmius, & aliis magis formidabile per copiam Judæorum conciliare posset, quibus omnibus exuitur, si tanta multitudo è regno exscinditur: *Partim ut* gravem illam infamiam, quam regi & regno ex tàm atroci ausu apud omnes nationes inusturus fuisset Haman, apertiùs ostenderet, quòd innoxiam & multis rebus sibi utilem gentem tàm Cyclopio conatu ad unum diem ad consilium unius truculenti hominis è totâ regione suâ funditùs Rex exterminasset, *Vnde* de reliquis gentibus nemo ampliùs Assvero aut regno ejus se & facultates suas concrediturus, alienas potiùs regiones pro sede circumspectaturus esset, Cum è Judæorum periculo, quid suæ genti imminere posset, colligere haberet, modò sangvinarius consultor, ut Haman, adesset, ac consilium fabricaret, in quod Rex tàm sævus, ut Assver. iste esset, facile consensurus esset; Et omnis populus *Medos & regem eorum ut omnium*

ut omnium barbarorum truculentissimos execraturus esset, nullus commercium eorum appetiturus esset; unde incredibile in totum istud regnum odium oriri necessum foret. Adeoq; evidenter pateret, quàm gubernatio Hamanis Ecclesiæ DEI detrimentosa, populo noxia, Regi indecora, & omnibus invisa esset.

34. 3. *Cur tám solicitè Esther retractationem priorum literarum regis de exscindendis Judæis rogat, genuflexione, humicubatione, supplicatione, variaq; regii animi commotione & emollitione, C. 8. v. 3. 5?* Partìm quia hic nodus impeditissimus erat, edicta enim Medorum & Persarum semel rata authenticâ lege irrevocabilia erant, *Dan. 6. v. 8. 15.* Regio autem nomine literas illas Haman scripserat, & regis annulo obsignârat, quibus Nemo contradicere ausus est, *Esther 8. v. 9.* Et licet edicti primus motor è medio sublatus esset: edictum tamen adhuc vim suam retinebat. At hæc res difficilima erat, Regem ad retractandas priores literas inducere, authoritas enim regia hic periclitabatur, cujus summates tenacissimi, ut nihil de eâ remittere solebant. Qvarê omni arte ac conatu irritationem earum Esther molitur. *Præter genuflexionem* enim, lacrymas, supplices preces, quibus ut ab unicè dilectâ conjuge profectis ad commiserationem tot innocentium animarum vel maximè rex flecti potuit, *etiam prudentiam persuadendi* singularem adhibet. Literas enim illas non regis, sed Hamanis esse dicit, quas ipse subdolè, inscio, & non omnium circumstantiarum satis gnaro rege scripserit, & annulo regis obsignârit, sicq; omnem culpam in Hamanum conjicit, à rege removet, cujus mentionem prudenter omittit, etsi Hamanis consilium suâ authoritate ratum fecerit: Primus enim author, suasor, & promotor Haman fuit, primus Judæos calumniis apud Regem oneravit. Rex autem jam tùm reipsâ satis testatum fecerat, quantoperè consilium Hamanis ipsi displiceret, ipso in crucem acto, filiis occisis, & bonis ejus confiscatis: *Et constare memorat*, cum

inſidiatorem, proditorem, ac hoſtem regis & Judæorum fuiſſe, Æqvum proindè eſſe, ut acta & ſcripta proditoria irritentur, ut fraudulenter ignoranti regi ſuppoſita, aut dolo aſtuq; extorta, & in regis regniq; damnum ac æternum dedecus promulgata: *Et inauditum* ſuum dolorem explicat, quem ex cognationis gentisq; ſuæ perditione percipere cogeretur, niſi perditio iſta publicè regiâ authoritate contrariis edictis inhiberetur, *v. 6.* *Et blanditiis* de gratiâ ſuâ apud regem proprioq; prudente regis judicio animum pertentat, *v. 5.* *Et oratione* plenâ humilitatis, prudentiæ, fidei, Zeli erga DEUM, ac erga populum ſuum ardentis caritatis Regem alloquitur, perinde ut ſimili *C. 7. v. 3.* facit.

35. *Partim* quia immane Judæorum periculum validam prioris edicti abolitionem poſtulabat; Ne hoſtes Judæorum multi & validi ſubdolè tantùm aliquod juſſum priori contrarium pro ſalute Judæorum emendicatum eſſe cauſarentur, Cui ita ſeriò rex non conſenſiſſet, ut abſolutè ei parere neceſſum haberent, Cum prius edictum regiâ authoritate ac ſigillo munitum eſſe viderent, eoq; in concepto contra Judæos odio perſiſtere poſſent. *Jam autem* cum novo publico edicto prius abrogari vident, plus fidei ac obedientiæ illi deberi intelligant: *Partim ut* ingentem dolorem ſuum ſuper excidio gentis ſuæ, & infamiâ regis ac regni, quæ hinc redundaret, *t. 33.* Regi ob oculos poneret, *v. 6.* Et quàm ægrè talia intueri poſſet, indicaret, quantoperè ſuper illis excruciaretur ac conſumeretur, ut propriâ vitâ abire mallet, quàm ſuæ gentis excidium tám barbarum timere ac ſpectare poſſet, nihilq; ſibi eo procedente ipsâ vitâ acerbius in poſterum futurum ſignificaret, niſi ſolida ſecuritas novo edicto regiâ authoritate de novo munito Judæis conciliaretur, ut hoſtes ſentirent, Judæos de vitâ ſecuros regio edicto præcedens de occidendis illis abrogante redditos eſſe, ac pro vitâ & facultatibus tuendis adversùs hoſtes ſtare poſſe ac debere:

Partim

Partim ut quàm seriò de salute gentis suæ solicita esset, apertiùs Regi explanarat, nihilq́; magis velle aut pluris facere ostenderet, non vitam, spes, honores, voluptates, delitias hujus seculi, aut regium diadema vel conjugium, quàm in DEI populo censeri: Nec pudere se ei populo adjungere, pro eo deprecari, ejus salutem solicitè quærere, qui jam internecioni destinatus ab omnibus contemneretur: Quo argumento multum ad regem movendum potuit, ut immedicabili penè malo remedium quæreret. *Partim* ut timore illo de gentis excidio plenè tandem à Rege liberaretur, non quotidiè super eo aut animo regis flexibili ac mobili fluctuare cogeretur, sed ex solido securitati plebis suæ tandem prospectum esse videret, sibiq́; ac genti suæ sufficienter consultum esse experiretur.

36. 4. *Cur nihil apud profanos Scriptores de tanto satrapâ, quantus Haman apud Assverum fuit, cum filiis exciso ac in crucem acto reperiatur, Cum maximè memorabilis illa historia sit*; & insigne inconstantis fortunæ argumentum præbeat? *Vel* quia illi imperfectè multa tradunt, ac plura omittunt, quæ reverâ gesta; *Vel* quia multa eorum scripta ad Nos non devenerunt, sed injuriâ temporum perierunt; Et quædam semiplena ad nos traducta sunt, *t. 27*. *Vel* quia inter Judæos historia contigit, ipsi Judaicarum rerum non semper satis gnari fuerunt, *c. l.* Eoq́; prætermiserunt: Et maximè Judæos contemnere ac irridere solent gentiles, apellas, recutitos, resectos, & similiter apellando, Vt ex *Horatio L. 1. sat. 5. Martiale L. 7. & 9. Sidonio Apollin. Tacito aliisq́;* patet. *Conf. t. 27.* Non ergò & hanc historiam magnoperè memorare laborârunt.

37. 5. *Quanta & quotuplex hæc Amanis dejectio extiterit?* Rectè de fortunâ dictum, quòd summa imis, & quadrata rotundis commutet. In hac historiâ si momenta casuum ponderentur, *septuplex* inprimis catastrophe hic observari queat. 1. *Super* omnes Principes Haman exaltatus fuit, C. 3. v. 1. 2. Postea infra omnes dejectus est. Ex maximè

mè timendo omnium vilissimus & suspendio dignus iudicatus est. Adoratus ab omnibus, C. 3. v. 2. A plurimis postea irrisus ac contemptus fuit. 2. *Secundus* à rege fuit, & post Mardocheo eqvum sternere jussus est quasi strator ei ac à pedibus esset. 2. *Plurima* & extrema illi minatus, post laudare illum publicè per urbem ut præco coactus est. 4. *Pater* à rege vocatus est. Post ut majestatis reus, proditor, insidiator, perduellis, hostis regis & reginæ, occidi jussus est. Ex summo regis amico ac penè pari in summum hostem ex regis judicio declinavit. 5. *In ligno* Mardocheo ad necem parato ipse eodem die ad vesperam suspendio cum suis postea etiam ad illud suspensis miserè perire necessum habuit. 6. *Indignans* oculis infestis ac torvis Mardocheum intuitus est. Postea regis vultum ferre non potuit, oculisq; velatis faciem ejus adspicere non debuit. C. 7. v. 8. 7. *Solâ* Mardochei cæde satiari nequiit, sed omnium Judæorum per totum regnum necem procurare voluit, & jam procuravit. Postea non solus periit, sed cum totâ familiâ masculâ & 10. filiis in crucem actus est, ac plurima Ethnicorum 1000. ejusdem cum ipso animi ac Judæorum hostes unà contrucidati fuerunt, C. 9. v. 6. 16. Cum Philotâ & Parmenione apud Alexandrum M. comparari potest. V. *Curtium* L. 6. C. 13. L. 7. C. 2. *Cætera*, quæ hic quæri possunt, ad ipsam Estheræ historiam pleniorem pertinent, & á Commentatoribus libri hauriri possunt. Hic de hac materiâ satis dictum CUM DEO esto.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.